

290 ARISTOTELIS STAGIRITAE DE  
GENERATIONE ANIMALIVM LIBER QVIN-  
TVS, INTERP. THEODORO.

De discrimine oculorum in animantibus, & eorundem differentia, & quid sit  
somnus, quid item uigilia. Caput I



E affectionibus, quibus animalium partes differant inter se, disserendum nunc est. affectiones partium dico cæsiatem oculorum, aut nigredinem, uocis acumen, aut grauitatem, & coloris, aut corporis, & pilorum, aut pennarum discrimen, quorum alia totis generibus insunt, alia utcunq; sors tulit habentur. quod maxime in hominibus accidit. mutationes etiam per ætatem aliæ omnibus æque animalibus ueniunt, aliæ contrâ: ut in uocis, colorisq; pilorum ratione uidere licet. Cum enim cætera nō canescant, manifeste in senectute, homo maxime omniū ita afficitur. & alia statim ab ortu naturæ consequuntur, alia progrediente ætate, & senescentibus accidunt. de his igitur, cæterisq; huiusmodi omnibus non eundē præterea modum causæ esse putandum, quæ enim non sint opera uel naturæ communia, uel generum singulorū propria, horum nullum aliquius gratia, aut est, aut fit. Oculus enim alicuius gratia est, sed cæsius non alicuius gratia est, nisi hæc affectio sit propria generis. nec uero ad rationem substatiæ pertinet in nō nullis, sed ut quæ necessariò siant, ad materiam, & principium, quod mo- uerit, causæ eorum referendæ sunt. etenim, ut initio disputationis nostræ dictum est, nō quia tale quid gignitur, quodq; ideo tale quid est, scilicet in ijs, quæ statuta, desi- nita & certa naturæ sunt opera: sed potius quia tale est, idcirco tale & gignitur. substantiæ enim generatio sequitur, & substatiæ gratia est, non ipsa generationem. Veteres tamen naturæ interpretes contrâ esse putarunt. cuius erroris causa fuit, quod causas plures esse non uiderent, sed materiæ tantum, & motus causam, eamq; inde- nite cognoscerent. Rationis uero, & finis causam non considerarent. sed enim aliquius gratia unumquodq; est, gignitur autē iam ob eam causam, & reliquas, quæ in ratione cuiusq; continētur, quæ uel alicuius gratia est, uel cuius gratia aliud est. Quæ uero nō eiusmodi sunt, uidelicet quorū generatio est, eorum iam causa quæ- renda in motu, generationeq; est, utpote cum discriminem constitutione recipiant. oculum enim necessariò habebit, tale enim animal subiectum est. Sed talem oculum necessariò quidē, sed non tali necessitate. Verum alio modo, scilicet quoniā talem, aut talē rem suapte natura agere, pati' ue potest. his ita definitis, de rebus quæ deinceps euenant, differamus. Principio pueri cum natu fuerint, dormire omnium maxi- me imperfectorum animalium solent, quoniā intra parentē cum primum sentire cœperint, tempus dormiendo totum ferē consumunt. Sed quæritur de prima gene- ratione, utrum uigilia præcedat, an somnus. quod enim proficiacente ætate magis exergisci uisuntur, contrarium, id est, somnum principio generationis inesse probabile est. Tum enī transitio de nō esse in esse per medium fieri solet. somnus autē talis sua natura esse uidetur, ut uiuendi, & nō uiuendi interliminium sit, & neque omnino sit, qui dormit, neq; non sit. Viuitur enim potissimum uigilia propter sensum, sed si animal habere sensum necesse est, & tunc primum est animal cum primum contingit sensus, primam illam dispositionē non somnum, sed similem somno esse putandum, qualis plantarum est. etenim ita accidit, ut per id tempus uita plantæ animalia uiuat. At plantis somnum inesse impossibile est. nullus enim somnus in- exergiscibilis est. Affectio autē illa plantarū, quæ somni est proportionalis, inex- ergiscibilis est. necesse enī est animalia dormire partem maximā temporis, quo- niā incrementum & pondus locis superioribus impositū est. Causam autē dor- miendi

mīdi talē esse alibī exposuimus. Verūtamen expurgisci in utero etiā uidenf, quod  
 tum in dissectionibus, tū in prole ouipari generis patet: mox obdormiscunt statim,  
 rursusq; delabūtur. quam ob rem egressa quoq; in lucē, bonā temporis partē dor=  
 miendo traducūt. Cum pueri uigilant, nō rident. cum dormiunt, rident. interdum  
 etiā lachrymant. Accidit enim dormiētibus etiā animalibus sensus, nō modo, quæ  
 somnia uocātur, sed etiā prater somnia, ut ijs, qui dormiētes resurgunt, & quidem  
 pleraq; agunt sine somnio. sunt enim qui dormiētes resurgat & ambulent, uiden=  
 tes eo modo, quo qui uigilāt. ijs enim sensus accidentiū contingit, quanquam non  
 uigilantibus: tamen nō ut somnium. Infantes uero propter consuetudinem quasi  
 nescij uigilādi, sentire, uiuereq; in dormiēdo uidētur. Tempore autē procedente,  
 incremētoq; transeunte in partem inferiorē expurgiscuntur. iam magis & partem  
 maiorē temporis ita degūt, sed initio plus, quam cætera animalia somno dediti ui= uunt. Imperfectissimi enim omniū perfectorū partuum nascūtur, & incremento  
 partis superioris exuperant. oculi omnium puerorū statim à partu cæsiuscum sunt.  
 post uero immutātur in eam naturā, quæ futura est, quod in ceteris animalibus nō  
 euēnit manifeste. cuius rei causa est, quod cæteris animalibus oculi in suo cuiuscum  
 genere unicolores potius sunt, ut boum nigri, ouium omniū aquini, aliorū ruffi  
 toto genere, aut cæsij, nōnullorū caprini, ut caprarij generis. At hominū oculos ua= rios, uersicolorēsque esse euēnit, nā alijs cæsij, alijs flauidi, alijs nigri, alijs caprini. quam  
 ob rem cæterorū, ut nulli suo in genere dissident inter se, sic nulli à se ipsi differunt.  
 quippe qui nō plus, quam unū colorē habeant sua natura. Equus maxime omniū  
 cæterorum animaliū uersicolor est. aliqui enim cæsij altero oculo nascuntur, quod  
 nulli ex cæteris bestijs euēnit manifeste. quamq; homines nonnulli altero oculo di= uerso gignantur, ergo ut cætera animalia nihil mutationis, uel recens nata, uel æta= te prouectiora recipiant, pueris autē id euēiat, satis causæ hoc esse existimandum,  
 quod cæterorū ea pars unicolor, hominis uersicolor est. sed ut cæsiū potius, quam  
 alium habeat colorē, causa est, quod partes nuper natorū imbecilliores sunt. cæsie= tas autē imbecillitas est. Sed in uniuersum de oculorū discrimine quærendū, accipi= endumq; est, quam ob causam alijs cæsij, alijs flauidi, alijs caprini, alijs nigri. sed cæsiōs  
 opinari plus ignis habere, ut Empedocles ait, nigros autē plus aquæ, quam ignis.  
 atq; ob eam rem cæsiōs interdiu acute cernere nō posse, scilicet ob aquæ inopiam:  
 nigros noctu deficere ob ignis inopiam non bene est. siquidem uisus non igni, sed  
 aquæ tribuendus in omnibus est. causam etiā colorū, uel alio modo reddere possu= mus. sed si ita est, ut ante dixi, cum de sensibus agerem. atq; etiam prius cum de ani= ma, ut aquæ propria pars hæc sensoria sit, non aëris, aut ignis, cur ita hanc esse cau= sam eorū putandū est, quod alijs plus humidi habēt, alijs minus, quam motus com= petens requirat, alijs modicū. Itaq; qui multū humoris continēt, nigri sunt, quoniā  
 humoris copia transpici satis non potest. cæsij qui parū habent humoris, ut in mari  
 etiā cernitur. etenim quantū eius satis transpicitur, cæsiūm apparent: quantum mi= nus, aquinum: quantum præ gurgite alto nō præfinitur, id opacat, & nigrum, aut  
 cœruleum sentitur. qui autē inter eos sunt, eo iam differūt, quod magis minus ue= ita cōstiterint. eandem causam esse putandū, & ut cæsij acute interdiu cernere ne= queant, nigri noctu. cæsij enim præ sui humoris exiguitate mouentur magis à lu= ce, & rebus uisilibus, scilicet qua humidi, quaq; perlucidi sunt, quamq; motio eius  
 partis uisio est, qua perlucida, nō qua humida est. Nigri uero ob humoris copiam  
 minus mouētur, lux enim nocturna exilis est, & simul quiuis humor per noctem  
 moueri difficultius potest. conuenit autē eum qua perlucidū, necnon moueri, neq;  
 magis moueri, quam congruum sit. leuior enim motus expellitur à uehemētiore.  
 quam ob rem, qui aut suū conspectum à calore ualidiore transtulerint, aut de sole

in opacum se contulerint, nō cernunt. motio enim quæ iam uehemens inest, impedit eam quæ extrinsecus accidit. deniq; uisus siue ualidus, siue inualidus, nequit res splendidas cernere, quoniā eius humor ultra modum afficitur, & mouetur. Aegritudines etiam oculorum, utrorumq; indicium faciunt. Glaucoma enim cæsijs potius accidit, lusciositas nigris, est autē glaucoma siccitas potius oculorum. Itaque senescentibus magis euenit, nam oculi quoq; ut reliquum corpus senectute sicescunt, lusciositas uero humoris copia est. quapropter minoribus natu potius accidit, cerebrum enim eorū humidius est. Visus autē optimus est, qui inter multum & parum humoris moderatus constat. hic enim nec per exiguitatem turbatur, ut colorum motiones impedit, neq; per nimietatem præbet mouendi difficultatem, sed non modo ea quæ diximus, causam habet, ut obtuse, acute ue cernatur, uerum natura etiam cutis, quæ pupillæ uocatae obtenditur. translucidā enim esse eam requirit. Talem autē esse quæ tenuis, alba, & leuis sit, necesse est. Tenuis igitur est, ut motus, qui extraneus ueniat, recto tramite feratur. leuis, ne rugis obumbret. senes enim ob eam rem acute non cernunt, nam, ut cæterarum partium cutis, sic oculorum quoq; senescentibus obrugatur, & crassior redditur. alba autē esse debet, quoniam nigrum translucidū esse non potest. hoc enim ipsum est nigrum, quod non transluceat. unde fit, ne laternæ possint lucere, si ex tali cute confecta sunt. Per senectutem igitur & morbos acute cernere ob eas causas nequeūt. Pueri uero paucitate humoris cæsijs principio sunt, sed altero oculo cæsijs præcipue homines, atq; equi gignuntur eadem de causa, qua & homo solus canescit, & equus inter cætera animalia unus euidentius albescit pilo per senectutem. canities enim debilitas quædam humoris siti in cerebro, & cruditas est. quod idem cæsietas quoq; est. Vis enim eadem est humoris admodum tenuis, quæ pauci, & admodum crassi, quæ multi. Cum igitur natura æque conficere nequit, aut utroq; concocto humore, aut non utroq; concocto, sed altero concocto, altero non, tunc euenit, ut cæsijs altero oculo reddantur. quam ob rem autē alia acute cernāt, alia non, duplex ratio est: acumen enim cernēdi bifariam serē dicitur. Audiendi etiam, olfaciendiq; ratio similis est, dicitur enim acute cernere, aut quod procul cernere potest, aut quod differentias rerum quæ cernuntur, quam maxime sentiat. quæ quidem simul nullis eisdem contingunt. Idem enim manu admota, aut per fistulam, quanq; nihil magis colorum differentias indicet, tamen longius cernet. & quidem ex foueis, puteisq; interdum stellas cōspiciunt. itaq; si quod animal multum quidem prominentiae adiunctum oculis habet, sed humorē pupillæ non purum, neq; modicum conuenienter extaneo motui, neq; summam cutem prætenuem obtinet, id ut exquisite colorum differentias nō percipiet, sic procul cernere poterit. quomodo etiā cominus magis, quam quæ humorē quidem illum syncerum, operimentumq; eius prætenue habent, sed supercilie, quod promineat oculis, careant omnino. causa enim cernendi tam acute, ut differentiae percipiātur, in ipso oculo est. nam ut in ueste mundissima uel minima macula perspicua est, sic in puro, synceroq; oculo, uel parua motio patet, sensumq; afficit. At, ut procul cernatur, motusq; à longinquis uisilibus deueniat, causæ situs est oculorum. quæ enim oculis prominentibus sunt, procul cernere nequeunt. Quæ contrā intus in cauo oculos habent positos, longe aspicere possunt, quoniā motus in uastum nō dissipatur, sed recto tramite meat. nihil enim interest an uisus exitu cerni dicatur, ut quidam aiunt. nam nisi ante oculos quicq; sit, dissipari uisum, atq; ita minorem rebus occurrere, quæ cernuntur, necesse est, minusq; procul uidere, quam si motu à rebus, quæ uidentur, proficiente cernatur. similem enim motui effici uisionem necesse est. Ita igitur potissimum res cernerentur longinquæ, si illico ab oculo ueluti fistula quædam porrecta ad rem usque cernendam

nendam cōtinuaretur. sic enim nulla ex parte dissolueretur motus, qui à re uisibili profici sceretur. Sed cum ita nō sit, quo amplius porrigitur, eo lōgius cernatur necessē est. Causæ discriminis oculorum hæ sunt.

De auditorijs sensibus, & olfactu, eorumq; ratione.

Caput II



Adem uero audiendi, olfaciendiq; ratio est. aut enim ita exquisite audiunt, & olfaciunt, ut quam maxime differētias omnes subiectarum sensibilium rerum sentiant: aut ita, ut procul audiant, aut odorentur. ut igitur bene differentiæ iudicentur, causæ sensorium est, quomodo in cernēdo, uidelicet si syncerū, tum ipsum, tum eius membrana est.

Meatus enim sensoriorum omnium, ut dixi, cum de sensibus agerem, tendunt ad cor, aut ad cordis proportionale, si corde carent. Itaq; meatus audiendi, quoniā sensorium hoc aēris est, qua spiritus nativus in alijs pulsū, in alijs spirationem facit, hac desinit. quapropter uerba ediscunt, ut quod audieris reddere ore possis. qualis enim motus subierit per sensorium, talis quasi ab una, eademq; effigie motus per uocem agitur, ut quod audieris, idem dicas. Oscitantes etiam, aut spiritū reddētes, accipientes ue, minus audiunt, quoniā extrellum sensorij auditus ad partē spiritalē terminetur, & quatiatur, moueat urq; unā cum instrumento spiritali, quoties illud spiritū mouet. mouet enim cum mouet. necnon temporib; anni, tempe= 20 ramentisq; humidis idem accidit, ut aures impleri spiritus uideātur, quoniā uicinæ sint origini loci spiritalis. Iudicū igitur exquisitum differētarū tum soni, tum odo ris, in synceritate sensorij, summæq; membranæ positū est. ita enim omnes motus manifesti, ut in uisu, in his etiā ueniunt, quoniam & procul sentire, aut nō sentire, similiter atq; in ratione uidēdi accidit. Quæ enim ante suas sensorias partes produc tiores, ueluti aqueductus possident, hæc procul sentire possunt. quam ob rem quorum nares porrectæ sunt longius, ut catellorum laconicorū, hæc ualēt olfactu. Ita enim motus nō interpellātur, sed à longe directi sensoriū subeunt integri. quomo do in ijs, qui manu admota fronti lōgius cernunt. Auriculæ etiā longæ, imbricatæq; amplius, quasi grundis, intusq; anfractu lōgiore intortæ (quales nō nullarū 30 quadrupedum sunt) melius administrant. quippe quæ motum eminus excipiētes ad sensoriū reddant. homo pro magnitudine minime ferè omniū animaliū procul sentire potest, cum tamen differētarū sensu maxime omniū ualeat. cuius rei cau sa est, quod sensoriū syncerum, minimeq; terrenū, corpulētū ue obtinet. cutem etiā tenuissimā præ cæteris animalibus homo suapte natura pro magnitudine ha= bet. Vitulus marinus nimis recte à natura cōstitutus est. Cum enim quadrupes ouiparū sit, auribus caret, meatusq; tantū habet, quibus audiat. causa est, quod uitā hic in humore traducit. Pars autē aurī addita meatibus est, ut motus à longe dela= tus aēris seruaretur. itaq; nihil utiles ei auriculæ essent, imo uero offenderēt, cum intra se copiam reciperent humoris. De uisu, auditu, olfactuq; dictum iam est.

40 De pilorū in animantibus uarietate, & quæ pilorum loco sint.

Caput III



Illi discrepant, & inter se in hominum genere per ætates, & cum cæte ris animalibus, quæ habent pilos. habent autē quæ intra se animalge nerant ferè omnia. Iam & aculeos, qui à nonnullis uice pilorum gerun tur, genus esse pilorum existimandum est, ut herinaceorū aculeos, & si quid eiusmodi aliud in genere uiuiparo est. differentiæ uero pilorum existunt duritie, mollitie, longitudine, breuitate, rectitudine, crispitudine, multitudine, paucitate. ad hæc, colorib; ut albedine, nigredine, eorumq; medijs. sed nonnullas earum differentiarum per ætates quoq; recipiunt, uidelicet cum mi

nora natu*r*, aut maiora sunt. quod præcipue in homine palam fit. pilosior enim æta*t*e prouectus redditur homo, & parte priore capitis nonnulli caluescunt. pueri quidē, mulieresq; non caluescunt. Viri autē procedente ætate calui euadunt. nec non capite homines senescentes canescunt. quod nulli ferē ex ceteris animalibus accidit manifeste, quamuis equus evidentius quam cetera ita afficiatur. Caluescunt homines parte capitis priore. Canescunt primo temporibus. sed nemo uel temporibus, uel occipite caluescit. Quibus autē animalium pili non sunt, sed pilorum proportionale, ut aibus pennæ, piscibus squamæ, ijs etiā nonnulli ex ijs affectibus uenient ratione eadem. sed cuiusnam rei causa genus pilorum datum animalibus à natura est, diximus antè, cum causas partiū redderemus. Nunc præsentis operis, atq; offi-<sup>10</sup>cij est, ut quibusnā præcedētibus rebus, & quas ob necessitates hæc eueniāt, expli- cemus. Causa crassitudinis, tenuitatisq; pili, cutis potissimū est. alijs enim cutis cras- sa, alijs tenuis, & alijs rara, alijs densa est. tum differētia humoris inditi cōsors cause est. Alijs enim pinguis, alijs aquosa est. omnino cutis naturam terrenam esse sta- tuimus. Cum enim per summa sit, humore euaporante solida, terrenaq; redditur. Pili autē, proportionaleq; pilorum nō ex carne, sed ex cute oriuntur, cum humor in ijs euaporetur, atq; exhalet. quam ob rem crassi ex crassa, tenues ex tenui cute proueniunt. quod si cutis rario*r*, & crassior sit, crassi gignētur propter copiam por- tionis terrenæ, & meatuum laxitatem. sed si spissior est, tenuiores exeunt propter meatuum angustiam. Item si uapor aquosus inest breui resiccescens, facit ne pili ca-<sup>20</sup>piant magnitudinem. At si pinguis est, contrā eueniit. non enim facile exiccarī po- test, quod pingue est. quam ob rem in totū animalia quorum cutis crassior est, pilo sunt crassiore, quamuis nō quæ cute maxime ita constat, magis ita habeant pilum, propter eas, quas modo diximus causas, ut generi suum præ bubus & elephantis, & multis alijs usu eueniit. nam & si cutem crassorem boues, elephanti, & pleraq; alia habent, quam sues, tamen pilo tenuiore teguntur. Eadem causa est cur homi- num capilli crassissimi sint. capitis enim cutis crassissima est, & humoris plurimum cōtinet. rara etiā admodū est. quinetiā ut pili longiores breuiores uē sint, causa est, quod humor qui euaporetur, nō facile exiccarī potest. causa uero ne facile exicce- tur duplex est, scilicet quātitate & qualitate. nam si humor aut multus, aut pinguis ;<sup>30</sup> est, nō facile exiccarī potest. ideoq; hominum capilli longissimi sunt. cerebrū enim quod humidū, & frigidū est, largam humoris copiā præbet. simplex aut, crispus ue- oritur pilus exhalatione pilorum. Nam si fumosa est præ sua caliditate & siccitate, crispū efficit pilū. Inflectitur enim, quoniā dupli delatione feratur. terrenū enim deorsum, calidum sursum fertur: cumq; præ sua imbecillitate inflecti facile possit, intorquetur. quod pili crispitudo est. Aut igitur ita causa reddenda est, aut quoniā parum humoris, multū aut portionis terrenae inest, efficitur, ut pili resiccati ab aëre ambiente cōtrahantur. Inflectitur enim quod rectū est, si euaporat, & cōtrahitur, atq; cōuellitur pilus, quemadmodū cum igne aduritur, utpote cum crispitudo con- uulsio sit ob humoris inopiam ab aëris continētis calore. indicū rei est, quod & du-<sup>40</sup>riores sunt pilii crisi, quam recti. durū enim quod siccum est. simplici aut pilo sunt, quæ humore abundant. fluit enim humor in ijs, nō stillat. quo circa Scythæ incolæ Ponti, & Thraces pilo sunt promisso, & simplici. nam & ipsi humili sunt, & aër ambiēs eos, humidus est. Aethiopes contrā, qui loca incolūt calida criso sunt pilo. siccū est enim & cerebrū eorū, & cœlum ambiēs. Sed sunt quæ quamuis cutem ha- beant crassorem, tamen tenuiori sunt pilo, ea uidelicet causa, quam antē exposui. quo enim meatus tenuiores sint, eo pilos enasci tenuiores necesse est. quapropter ouiu generi tales sunt pilii. uellus enim multitudo pilorū est. Sunt etiā, quæ mollem quidē habeant pilum, sed minus tenuē, ut lepores contrā quam oves, leporū enim pilus

pilus per summa cutis enascitur, quam ob rem longitudine caret, & simile accidit, ut in ijs, quæ lino decerpuntur, quæ quamvis mollia sint, tamen nullam longitudinem habent, nec implexum ullum recipiūt. Oues frigidi tractus contrā quām homines afficiuntur. Scythæ enim molli sunt pilo. at oves Sauromaticæ duro, causa eadem, quæ in omnibus feris est. frigus enim indurat propterea quod cogendo exiccat. cum enim calor eximitur, humor unā euaporatur. Itaq; non solum pilus, sed etiam cutis terrena, duraq; euadit, causa in feris uita agrestis est, in cœcurib; au-  
 tem his loci frigiditas, indicium uel echini pelagici faciūt, quorum usus cōtra urinæ stillicidia est. quippe qui frigiditate maris præalti, in quo degūt (sexaginta enim, atq;  
 10 etiam amplius passuum gurgite oriūt) ipsi quidem exigui sint, sed aculeos gran-  
 des, durosq; gerant. causa magnitudinis est, quod incremētum corporis diuersum eo est. cum enim parum caloris obtineant, neque concoquere possint, multum ob eam rem habent excrementi. aculei autē, & pili, & reliqua generis eiusdem excre-  
 mento nascuntur. duri uero & rigidi modo penē lapidis constant propter frigus,  
 & gelu. eodemq; modo cætera, quæ terra gignit, duriora, & terrosiora, lapidosio-  
 raq; gignūt locis aquilonijs, quām austrinis, & uento expositis, quām concavis,  
 & quietis. frigent enim omnia magis, humorq; euaporatur. Indurat igitur tum ca-  
 lor, tum frigus. nanque euenit, ut ab utriscq; humor euaporetur, scilicet à calore per  
 se, à frigore per accidens. unā enim cum calore humor abstrahitur. nullus enim hu-  
 20 mor sine calore est. sed frigus nō modo indurat, sed densat etiam, calor uero laxat,  
 rarioraq; facit. Eadem causa est, ut natu grandibus duriores & pili, & pennæ, &  
 squamæ reddātur. cutes enim duriores, crassioresq; efficiuntur senescente ætate.  
 resiccantur enim. & quidem senectus ipsa, ut nomen significat, terrena est, quoniā  
 sine calore est, & cum calore humor defluit. Calui omniū maxime animalium ho-  
 mines aperte efficiūt. quod genus affectionis generale quodammodo est. nam  
 & plantarum aliæ semper frondent, aliæ frondem amittūt. Et aues, quæ certo tem-  
 pore se abdunt, & latent, pennas amittūt. qualis affectus caluitum in hominibus  
 est, quibus accidit, ut caluescant. Cum enim paulatim & frondes, & pennæ, & pili  
 defluāt, ubi uniuersim hic affectus euenerit, uocabula accipit hæc, caluescere, de-  
 30 frondescere, depennescere. Causa autem huius affectus inopia humoris calidi est,  
 qualis præcipue est humor pinguis. quo circa plātæ, quæ pingues sunt, frōde per-  
 petua uirēt. sed de his aliās. sunt enim ijs uel aliæ causæ huius comites affectionis.  
 Euenit hoc plātis hyberno tempore. mutatio enim hæc potior, quām ætas earum  
 est. Animalibus etiā, quæ latent, idem tempus iacturæ est. sunt enim minus, quām  
 homines natura humida, atq; calida. homines autē suis ætatibus hyemē, æstatemq;  
 agunt. quam ob rem nemo antē, q; coire incipiat, caluescit, sed à uenereo coitu po-  
 tius id euenit, scilicet ijs, qui sua natura sint eò propensiores. Cum enim cerebrū fri-  
 gidiſſimū omniū corporis partiū sit, tum rei uenereæ usus refrigerat, caloris nanq;  
 synceri, naturalisq; secretio est, itaq; cerebrū sentit meritò prius. quæ enim imbecil-  
 40 la, uitiosaq; sunt, causa parua, exiguocq; momento immutatur. Quapropter si quis  
 cogitet, ut & ipsum cerebrū parum calidū est, magisq; talem esse obductam cutem  
 necesse est, atq; etiā magis naturam pilorum, uidelicet quanto plus ipsa caloris ori-  
 gine distet, recte id ita euenire existimabit, ut qui semen ferant, ea ipsa ætate calues-  
 cant, qua semen emittant. eadem causa est, & ut priore capitis parte caluescant, &  
 ut hominibus solis omnium animalium id eueniat. quod enim parte priore cere-  
 brum cōtinetur, hinc ea parte caluescimus. quod autē homo maximum, humidissi-  
 mumq; cerebrum habet, hinc solus animalium ita afficitur. mulieres non caluent,  
 quoniā natura earū similis puerorū naturæ est, utraq; enim sterīlis seminalis excre-  
 menti est. spadones etiam non caluescunt, quoniā in fœminam mutatur, & pilos,

qui postea gignuntur, aut nō producūt, aut amittunt, si forte habent, præterquam pubem, quam mulieres etiā habent, cum cæteris illis careāt. oblaesio enim hæc, mutatio de mare in fœminam est. causa uero, ut quæ latent, rursus pennas recipiant, quæq; frondem amiserint, denuò frondescant, caluis autē nunquam redeat pilus, quod anni tempora illis mutationem corporis magis afferūt. itaq; pro temporum mutatione uicissitudo gignēdi, amittendiq; sequitur, ut animalia pennas, pilos uē, plantæ frondes aut dimittant, aut recipiant. At uero hominibus per ætatem euent, uer, æstas, autumnus, hyems. Itaq; cum ipsæ ætates non permutētur, sit, ne affectus, qui ob eas accidunt, permutentur, quanquam similis causa est, ac de cæteris pilorum affectionibus diximus ferè.

Quam ob causam homines canescant.

Caput IIII

10

**C**olorum autem causa cæteris quidem animalibus cutis natura est, ut unicolora sint, & uaria. sed hominibus nihil causæ cutis affert, nisi ad canitiem, uidelicet eam, quæ morbo, non quæ senio accidat, nam eo uitio corporis, quod uitiligo uocatur, pili efficiuntur albi. sed si albi sunt pili, cutem albedo non sequitur. cuius rei causa est, quod pili è cute exeunt. Itaq; si cutis ægrotat, extenuataq; est, pilus quoq; ægrescit. ægritudo autē pili canities est, ætatis uero illa canities inopia, & exilitate caloris contrahitur. Omnis enim ætas labitur in frigiditatē, cum iam corpus inclinatur, & consenescit. senectus enim frigida est, & sicca, de alimento autē, quod quamcunq; partem corporis subeat, ita intelligendum est, ut calore proprio concoquatur, qui cum agere nequeat, deprauetur altio, & aut repletio sequatur, aut ægritudo, sed de eiusmodi causa postea differemus, cum de incremento, & alimento agemus. Quibus igitur hominibus natura pilorum parum calida est, plusq; humoris subit, calor proprius nequit cōcoquere: atq; ita humor putrescit, calore aëris ambiētis. fit enim putredo quæq; à calore, sed non suo, nativoq; ut alio loco exposui. putredo autē & aquæ, & terræ, & quorumvis eiusmodi corporū fieri potest. quam ob rem terreni etiam uaporis putredinē nouimus, quæ situs uocatur. etenim situs caries uaporis terreni est. Itaq; in pilis quoq; alimentum tale, cum non concoquitur, putrescit, atq; ita efficitur ea, quæ canities appellatur: quæ alba propterea est, quod & situs unus cariorum ferè albus est: cuius rei causa est, quod multum aëris continet. Omnis enim uapor terrenus uim habet aëris crassioris. situs enim quasi respondēs pruinæ existi matur. nam si uapor se efferens cōcrescit, pruina fit. si putrescit, situs. quapropter utraq; per summa hærent. uapor enim per summa est, & recte à poëtis in comedijis transfertur conuicio in canitiem, cum senectutis situm, pruinam nominant: alterū enim genere idem est. uapor nanq; utruncq; est. alterū, id est situs, specie idem est. putredo enim utruncq; est. hoc ita esse indicium est, quod plerisq; per ægritudinem pili canuerint, mox ualeitudini restitutis nigruerint. causa est, quod per ægritudinem, ut totū corpus inopia caloris naturalis laborat, sic partes etiā minimæ eadē participant labe. multum autē excrementi consistit in partibus corporis, quam ob rem in pilis etiā cruditas est, quod canitiem faciat, post uero cum conualuerint, & vires receperint, denuò mutantur, & quasi iuuenes ex senibus reddūtur, affectionesq; proinde mutantur. recte etiā dixeris morbum esse aduentitiam senectutem. Senectutem autē esse morbum naturalē. itaq; morbi nonnulli idem faciunt, quod senectus. tempora autem primo canescunt, quod occiput uacat humorē, cum non contineat cerebrum. sinciput uero habet multū humoris. quod autē multum est, difficile id putrescit. At in temporum pilis, nec tam parum humoris est, ut concoqui possit, nec tam multū, ut putrescere nequeat. Cum enim is locus medius inter utrosq; sit, extra utruncq; affectū esse potest. causa canitiei humanæ dicta iam est.

Quam

Quam ob causam nonnulla animalia pilis, aut ijs, quæ pilorum uice fungantur, immutentur.

## Caput V

Aeteris autē animalibus, ne per eam ætatem hoc idem manifeste euēniat, causa est eadem, quam de caluitio diximus. Parum enim cerebrū idq; minus humidum habent, ut calor ad concoquendum sufficiat. Equis maxime omniū, quæ nouerimus animaliū, canities innotescit; quod os, in quo cerebrū tenuius, quām cætera pro magnitudine habent, argumentum est, quod ictus in eo loco periculosus est, unde illud Homeris: Et quām setæ harent capiti, letaleq; uulnus præcipue fit equis. Cum igitur præte<sup>10</sup>nuitate ossis affluat humor, & per ætatem calor deficiat, pili isti canescunt. Rusi etiā celerius, qua nigri canescunt, nam & ruffitas, quasi imbecillitas pili est. Imbecilla autem quæc; celerius senescunt. Grues senescentes effici nigriores aiunt, cuius effectus causa esse potest, quod pennarū natura earum albiset, plusq; humoris senescentibus ijs constituitur in pennis, quām ut facilius putredini pateat. Canitiem autem effici putredine quadam, nec esse, ut quidam putant, ariditatem, indicium est, quod pili, qui uel pileo, uel alio tegmine operiūt, celerius canescunt. Flatus enim putredinem prohibit. experimentum autem flatum arcet. Iuuat etiam olei aquæ misti perunctio. aqua enim refrigerat. oleum uero ne celeriter exiccatur, prohibet. aqua enim facile resiccatur. Canitiem autē non esse ariditatem, nec pilū, ut herbam<sup>20</sup> exiccatum albescere, indicium est, quod pili nonnulli cani illico oriuntur. at nullum oritur aridum, multi etiā suo extremo albescunt: in ultimis enim, ac tenuissimis casior minimus habetur, cæteris animalibus, quibus pili albi gignuntur, natura, nō affectu id euénit. Causa autē colorum in cæteris cutis est. Alborum enim alba est cutis, nigrorū nigra. uariorū, permistorumq; partim alba, partim nigra esse conspicitur. At in homine cutis nulla causa est. Qui enim sunt albi, admodū nigros habent capillos. causa est, quod homo omnium maxime tenuem cutem habet. pro magnitudine itaq; nihil ad pilorum mutationem cutis ualet, imò præ sua imbecillitate ipsa mutatur, & uel à sole, uel à flatu redditur nigrior, nec pili ullo pacto cum ea mutantur. at uero in cæteris cutis uim loci præ sua crassitudine obtinet. itaq; sit, ut pili pro<sup>30</sup> cute immutentur, cutis autē ipsa nihil à flatu, aut sole afficiatur.

## De coloribus animantium.

## Caput VI

Nimalium uero alia unicolora sunt (appello unicolora, quorū genus totum unū habet colorē, quomodo leones fului sunt omnes, idemq; in auibus, & piscibus, & reliquis animalibus omnibus intelligi uolo) alia uersicolora sunt. Sed toticolora ea dico, quorū corpus totum quidem eundem habet colorem, sed nō omnium eundem, ut bos totus albus est, aut totus est niger. Alia uaria sunt, idq; dupliciter: aut enim genere, ut panthera, ut pauo, & piscium nonnulli, ut quæ thrassæ uocantur. aut non genere<sup>40</sup> toto, sed parte, ut boues, ut capræ interdum uariæ generantur. in autum etiam genere columbæ, & alia pleraq;. Transeunt uero toticolora multo magis, quām unicolora, tum in colorē sui generis simplicem, ut ex albis nigra, & ex nigris alba redendantur: tum uero in mixtum ex ijs, quoniā in totius generis natura inest, ne unum habeat colorē. hinc enim facile utroq; uersus mouetur, ut uicissim mutetur, & uarium efficiatur. unicolora contrā, nunquam enim mutātur, nisi per affectum, idq; raro. iam enim perdix uisa est alba, & coruus, & passer, & ursa. Accidunt hæc cum in generatione perueruntur: facile enim moueri, deprauariq; potest, quod parvus est. tale autē quod gignitur, est. Principiū enim ijs quæ gignuntur, in paruo consistit. A quis etiam immutantur ea potius, quæ sua natura toticolora, genere autem



uersicolora sunt. calidæ enim aquæ pilum faciunt albū, frigidæ nigrum: quomodo plantis etiā euenit. causa est, quod calida plus aëris habet, quam aquæ. Aër autem perlucens, albedinem facit, quemadmodū spumam quoq; effici certū est. Vt tigitur cutes per affectū albæ differūt ab ijs, quæ tales natura sunt: sic pili inter se differūt, qui morbo, aut ætate, quiq; natura albuerint, scilicet eo quod causa est diuersa. alteri enim calore naturali, alteri alieno albi efficiuntur. albedinem uero omnibus aër uaporosus præbet inclusus. quam ob rem quæ unicolora non sunt, uentre omnia plenius albēt. calidiora etiam, suauiorac; sunt omnia alba ferè eadem de causa. concoctione enim dulce efficitur: concoctio autem calore. eadem causa unicoloribus quoq;, sed aut nigris, aut albis reddēda est. caliditas enim, atq; frigiditas causam habent naturæ cutis, & pilorum. membrū enim unumquodq; suum habet calorem. Quinetiam linguæ simplicium ac uariorum inter se differunt, atq; etiam ipsorum simplicium, sed uersicolorum, ut alborum, & nigrorum. causa uero est, quod ante dixi, quod uariorū cutes uariæ sunt, alborū albæ, nigrorum nigræ. linguam autem perinde, ac partem aliquam esse exteriorem putandum, qualis manus, aut pes est, quamquam ore operiatur. Itaq; cum uariorū cutis non sit unicolor, cutis quoq; linguam ambientis ea ipsa causa est. Mutant colores auium nonnullæ, atq; etiā quadrupedum sylvestrium aliquæ per tempora anni. cuius rei causa est, quod ut homines per ætatem mutantur, sic illa per tempora. plus enim discrimin hoc in ijs potest, quam mutatio ætatis. uaria etiā magis sunt, quæ uario magis cibo uescuntur. quod parte plurima dixerim, idq; recta ratione, ut apes unicolores sunt magis quam crabones, aut uespæ. nam si cibi causæ sint mutationis, merito ciborum uarietas facit, ut magis euariant motus, & alimenti excremēta, ex quibus & pili, & pennæ, & cutes gignuntur. Ac de coloribus & pilis satis definitum sit ad hunc modum.

## De uoce animantium, &amp; eius mutatione.

## Caput VII

**D**e uoce, cum animalium alia uocis grauioris sint, alia acutioris, alia firme, ac in utranc; exuperantiam modice cōstantis: cumq; etiam alia magnam uocem, alia paruam reddant, & levitate, aut asperitate, flexibilitateq; aut rigiditate discrepent, considerandum quas ob causas hæc singula habeantur. Igitur acuminis, grauitatisq; causam eandem esse arbitrandum, quam mutationis, cum minora, maioraq; natu mutantur. Cetera enim omnia cum natu minora sunt, uocem mittunt acutiorem. uituli autem buligrauiorē. quod idem maribus etiā, & fœminis eius generis euenit. Cum enim in ceteris generibus fœmina uocem mittat, quam mas acutiorem (quod maxime in homine patet), hanc enim facultatē natura homini potissimum tribuit, quoniam oratione solus animalū homo utitur, orationis autē materia uox est) cum inquam ceteræ fœminæ acutius sonent, contrā in bubus est. Vaccæ enim grauius, quam tauri sonat. sed cuiusnam gratia, uocē animalia habeat, & quid uox sit, & omnino quid sonus, & strepitus, partim in ijs, quæ de sensu, partim in ijs, quæ de anima disseruimus, explicatū est. Cum autē graue in tarditate motus consistat, acutū uero in uelocitate, utrū quod moueat, an quod moueat, causa sit tardī, aut uelocis, quem rendum est. quidam enim, quod multū est, tarde moueri, quod parum, uelociter id moueri aiunt: eamq; esse causam, ut alia uocē grauem emittant, alia acutā, quod recte aliquatenus dicitur, sed nō recte in totū. genere enim recte dici uidetur, graue in magnitudine quadam esse eius, quod mouetur. nam si hoc ita esset, paruam, eandemq; grauem emittere uocem nō facile liceret: nec magnā, & eandē acutam. Videtur etiā grauitas uocis naturæ generosioris esse, necnon in modulatu grauis modulus præstatiōr incitato est. perfectū enim in superatia cōsistit. Grauitas aut su perantia

perantia quædam est. Sed cum acutum & graue in uoce diuersa sint à magnitudine uocis, & paruitate (est enim & acuta magna, & parua grauis) simili modo medius eorum tenor ambigit, quoniam alio definienda sit magnitudo uocis, & paruitas, nisi multitudine eius quod mouetur, & paucitate: quod si definitione illa statuendum sit acutum & graue, accidet, ut eadē sint grauis, magnæq; uocis, & acutæ, paruæq; uocalia, sed enim causa est, quod magnū, & paruum, & multum, ac paucum, non eodem accipiuntur modo, sed altera simpliciter, altera respectu quodam. magniuo ca enim sunt, eo quod multum simpliciter est, quod mouetur: paruiuoca, eo quod parum: grauiuoca autem, & acutiuoca, eo quod respectu inter se habito differen= 10 tiam hanc recipiunt. Nam si quod mouetur, superat vires eius quod mouet, tarde quod fertur ferri necesse est; si superatur, uelociter. Itaq; quod ualeat, interdum mul= tum pro uiribus mouens, tardum efficit motum; interdum uelocem, si superat. ea= demq; ratione, quod debile est si plus mouet, quam vires patiuntur, tardum efficit motum: si parum præ sua imbecillitate, uelocem. Causæ cōtrarietatum hæ sunt, ne aut omnia minora natu uocem mittant acutam, aut maiora grauem, necq; mares & fœminæ æque omnes aut grauē, aut acutam. Ad hæc, ut & ægri acutum sonēt, & qui bene ualent, atq; etiam ut senescētes uocem mittant acutiorem, quanquam senilis ætas cōtraria iuuenī est, plurima tamen parte minora natu, & fœminæ acu= ta sunt uocis, cum præ sua imbecillitate parum aëris moueant, fertur enim uelo= 20 citer, quod parum est, uelocitas autem acumen in uoce est. Vituli & uaccæ partem quam mouēt, non habent ualidam, alteri propter ætatem, alteræ propter fœminei sexus naturam, cum tamen moueant, multum graue sonāt. Graue est enim, quod grauiter mouetur, multumq; aëris tarde fertur, multū autem ea mouent, cum cæte= ra parum moueant, quia uas, per quod primum spiritus fertur, amplum in ijs est, multumq; aëris mouere cogitur, cæteris angustius, ac parcus est. ætate autem pro= cedente, vires ea pars recipit, quæ in unoquoq; moueat. Itaq; in contrarium muta= tur, ut quæ uocem acutam mittebant, grauiorem, quam prius mittant: quæ autem grauem, acutiorem, quam ob rem tauri acutius sonāt, quam uituli, & uaccæ. Vires autem omniū neruis continentur, quapropter cum ætate florent, robustiora sunt. 30 minus enim compacta, neruataq; sunt, quæ minora natu adhuc sunt. Item recen= torum nerui nondum intenduntur, senescentium iam laxantur: quam ob rem ad motum quoq; sunt imbecilliora. sed potissimū tauri neruosi sunt, & eorum cor ita constat, itaq; contentiore eam obtinent partem, qua spiritum mouent, quasi fidicu= lam intentam, talem cordis bubuli esse naturam significatur, uel eo osse, quod in nonnullis gignitur: ossa enim naturam neruorū requirunt. Executa omnia in fœmi= nam mutatur. & quoniā vires neruosa in suo originali principio laxātur, similem fœminis mittunt uocem, laxatio uero similis fit, ut si quis fides intendens adhibuerit pondus, quod annexum reddat cōtentiores, quomodo textrices faciunt, quæ cum stamina distēderint, annexunt quas leuas uocant. ita enim natura quoq; testiū an= 40 nixa meatibus seminalibus depēdet, qui meatus ex uena tendunt, cuius origo ex corde est, iuxta ipsum principiū, quod uocē moueat. quam ob rem meatibus semi= nalibus immutatis, ad eam qua semen excernere possunt ætatem, pars illa quoq; una cum ijs immutatur, qua immutata, uox etiā mutatur, maxime scilicet maribus. sed fœminis etiam idem accidit, quanquam obscurius: quod quidam hircire appellant, cum uox mittitur inæqualis. pōst uero restituitur in sequētis ætatis grauitatem, aut acumen. Sublati igitur testibus, tentio quoq; meatū laxatur, quomodo in fidicu= la & stamine sublato pōdere. laxatis his, principium, quod moueat uocem, eadē ra= tione laxatur. Causa hæc est, quam ob rem executa mutantur in fœminā, tum uoce, tum etiam reliqua forma: quoniā ita accidit, ut principium laxetur, ex quo intentio

corporis est, non ut quidam existimant, quod testes ipsi copula sunt multorum principiorum, sed paruae mutationes causam afferunt magnarum mutationum non sive ratione, sed cum euenit, ut principium una cum ijs ipsis mutetur. principia enim quamvis magnitudine paruae sint, tamen facultate sunt magna. hoc est enim principium esse, ut ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa. Caliditas etiam, aut frigiditas loci confert eodem, ut natura tale constituant animal, quod aut grauem, aut acutam uocem emittat. Spiritus enim calidus crassitudine sua grauitatem efficit uocis: frigidus prae sua tenuitate contrarium facit: quod uel in tibijs patet, qui enim calidiore utuntur spiritu, & talem emittunt, qualem siccines, & lamentates, grauiorem sonum inspirant tibijs. asperioris autem uocis, aut leuioris, omnis deniq; huiusmodi inæqualitatis causæ est, membrum, instrumentumq; per quod uox fertur, cum aut asperum est, aut leue: denique aut æquale, aut inæquale. constat hoc ita esse, cum aliquid humoris in arteria inest, aut asperitas affectu aliquo sit: tunc enim uox redditur inæqualis. flexilis autem uocis, instrumentum molle causa est, ut rigidæ durum. molle enim parcus disp̄sari potest, & uarium fieri, durum non potest. & molle quidem tam magnam, quam paruā reddere uocem potest, & proinde tum grauem, tum acutam. facile enim spiritum dispensat, ipsumq; de facilitate magnū, paruumq; fit. quod autē durum est, indispensabile est. De uoce igitur, quæ non ante differuimus, cum de sensu aut de anima ageremus, hūc habeat modum.

*Quare dentes à natura constituti sunt, & cur partim decidant, denuoq; nascantur,  
partim autem non.*

Caput V III

**D**e dētibus non rei unius, aut eiusdē gratia animalia eos habere omnia, sed alia ad cibum, alia ad uocis orationē, dictum antea est. sed cur priores gignātur primo, maxillares post, & hi non decidant, illi decidant, ac denuo nascantur, hanc rationem disputationi de generatione cognatam esse putandum est. Differuit igitur de his & Democritus, sed non bene, non enim omnibus consideratis, causam reddidit uniuersim. Ait enim decidere, quoniam properant, & ante tempus oriuntur, nam ad ætatem penē florēntem enasci per naturam debere, causam autem ut ante tempus gignantur, usui contribuit lactis, & sus lactet, qui tamen dentes non amittit. & quæ dentes habēt ferros, omnia lactent, quanquā nonnulla eorum non amittunt nisi caninos, ut leones. hoc igitur ille errauit, exponens uniuersim, cum id non animaduertisset, quod in omnibus eueniret. At agere ita oportet, qui enim differit uniuersim, ac de omnibus dicat, necesse est. Sed cum naturam ita subiçiamus, scilicet ratione ducta ex ijs, quæ cernimus, ut neq; deficiat, neq; frustra agat quicquā in singulis quoad eius fieri potest, quæ autē cibū assumere debent post lactis usum, instrumenta habeant necesse sit ad cibum conficiendum: si ita eueniret, ut ille dicit, ad pubertatē, natura profectio deficeret agēdo rem, quā facere posset, atq; opus naturæ fieret præter naturā. Violentum enim præter naturā est. Generationē autem dentiū euenire uiolenter assuerat, sed hoc uerū non esse apertū ex his, alijsq; huiusmodi rationibus est. Oriuntur autem prius ijs, quam lati, quod & officium eorū prius est. Secatur enim prius, quam molitur, quod comeditur, sunt autē illi molēdi officio delegati, hi uero secādi. tum etiā quod res minor, et si simul inchoatur, tamen celerius solet perfici, q; maior. Minores autē primores, quam maxillares sunt, necnon maxillæ os à latere latum, in ore angustum est. Itaque ex ampliore plus alimenti affluere necesse est, ex arctiore minus. lactis autem usus ipse nihil confert, quanquam lactis calor faciat ut dentes ij oriantur. indicium est, quod & ipsorum lactentium infantes qui calidiore utuntur lacte, ocyus dentiunt, calor enim uim obtinet augēdi. Decidunt qui prodierint primi,

primi, tum notæ melioris gratia, tum necessariò, melioris ratione inquam, quod ci-  
tò hebetescit quod acutum est. Itaque alteros succedere in officium oportet. lati au-  
tem non hebetantur: sed tempore duntaxat attriti leuigantur, necessariò uero de-  
cidunt, quod maxillarium radices in lata nítuntur maxilla, & ualido osse continen-  
tur: primorum autem in tenui. unde fit, ut infirmi & mobiles sint, nascuntur autem  
denuò, quod in osse adhuc nascēte oriuntur, & cum tempus adhuc est ad dentium  
generationem idoneum. cuius rei indicium est, quod maxillares diu oriuntur. Vlti-  
mi enim uicesimo anno exeunt, nōnullis etiam senescentibus omnino prodierunt,  
qui loco ultimo habentur: quoniam multum alimenti in amplitudine ossis contine-  
tur. At uero prior pars ossis præ sua tenuitate citò perficitur, nec excrementum in  
eo fit, sed in debitum incrementum absimitur alimentum. Democritus uero missa  
ratione, cuius causa agatur, omnia referēda censet ad ea quibus natura utitur. quæ  
talia quidem sunt, sed alicuius causa, & notæ melioris gratia sumuntur. Itaque nihil  
prohibet, quo minus ita dentes fiant, & decidunt: sed non propterea, sed propter si-  
nem. hæc autem ipsa causæ sunt, ut mouentia, & instrumenta, & materia. Nam &  
spiritu magna ex parte agere consentaneum, ut instrumento est. ut enim nonnulla  
artium instrumenta utilia sunt ad plura, uerbi gratia in excusoria malleus, & in-  
cus: sic in rebus à natura institutis spiritus uarium exhibit usum. simile dici uidetur,  
cum causas necessariò esse dicunt: ut, si quis propter cultellum tātummodo aquam  
exisse ijs qui intercute laborat, non etiam propter sanitatem, cuius causa secuit cul-  
tellus, existimet. Sed de dentibus cur partim decidunt, ac denuò nascantur, partim  
non: & omnino quam ob causam fiant, dictum est, dixi etiam de cæteris mēbrorum  
affectibus, qui non alicuius causa, sed necessariò ueniant, & quam ob causam, ui-  
delicet eam cui motum tribuimus.

## LIBRORVM DE GENERAT. ANIMAL. FINIS.



30 **ARISTOTELIS**  
DE COMMVN I ANIMALIVM GRESSV, LIBER,  
INTERP. PETRO ALCYONIO.



40 E PARTIBVS quæ usui animalibus sunt ad mo-  
tionem per locum ciendam differendum, cur quæque  
talis habeatur, & cuius rei causa ijsdem ipsis affixa sit.  
De differentijs item habebitur oratio, quæ explicitur  
inter partes unius eiusdemq; animalis, & inter partes  
cæterorum animalium, quæ specie inter se differant.  
Sed initio ea proponamus de quibus uerba facienda  
sint. Primum igitur eorum est, quot minimum signis  
animalia sese moueant: mox quam ob causam sangu-  
ne prædicta quaternis, illo uacua pluribus agatur signis.  
& generatim, cur alia nullis fulciantur pedibus, alia bipeda, alia quadrupeda, alia  
etiam multipeda sint, & quam ob rem omnia paribus subnitantur pedibus. de ijs lo-